

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechthildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

LVI. Qualiter deus amicos suos tangit dolore.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

sapit et fruitur, plerumque in exterioribus carere debemus. Quam vero sit illud grave, si quis me interrogat, humano sensui minime valeo edicere. Dominus noster multa pro nobis usque ad mortem passus est; nunc vero dolor, vel minimus, adeo gravis nobis videtur et magnus, ut sane de hoc erubescendum est, atque dolendum coram Deo tam parvam nobis esse virtutem. Ex amore vero dolor plus dulcescit, quam exprimi potest, et Deo similes si efficeremur, in multis pugnis victoriam reportarem. Dei complacentia amantisque animæ simul conveniunt sicut sol cum aere, qui una quadam suavi penetratione commiscuntur, ita ut aeris frigiditatem sol devincat et obscuritatem, unde omne in uno sole fulgens videtur; quod quidem ex divina procedit suavitate. Deus vero nobis omnibus hunc concedat ac conservet amorem! Amen.

LVII. QUALITER DEUS AMICOS SUOS TANGIT DOLORE.

QUANDO quis turbatur, ut jam in se non firmiter constet, et levem culpam in se habet, ita tunc loquitur Dominus noster: Illum tetigi. *Glosa*: Eo modo quo me Pater in terris tetigit, ego illos quos in terra ad me traho, non sine magno ipsorum dolore traho, et quo mihi propiores accedunt, eo graviorem tractum meum cognoscent. Quando vero homo ita super se victor extiterit, ut pœnam et consolationem pro uno eodemque perpendat, ad tantam illum extollam suavitatem, ut inde vitam sapiat æternam.

LVIII. NONNULLA DE PARADISO.

OSTENSUM est mihi et vidi qualis fuerat modo creatus paradisus. Ejus latitudinis ac longitudinis nullum finem inveni. Primo ad locum deveni inter hunc mundum et ipsum paradisum medium, ubi vidi arbores, folia, pulchra gramina, nullam vero malam herbam. Quædam arbores fructus ferebant, pleræque vero tantum folia suaveolentia. Ibi discurrebant